Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

mentis vestre et exhilarate corda, quia
hodie facta est vobis redempcio et iu-
gum captiuitatis vestre contritum est. Au-
dite ergo et glorificate deum pro beneficiis que
adhuc vobis monstrabit. Principes
autem sacerdotum predicti postquam lancea
latus domini confoderunt dixerunt: Feramus
quoque per vniuersam synagogam ut experiamur
virtutem christi et si vera sunt que de eo
dicta sunt. Et subponentes ampullam
vitream ad locum vulneris receperunt
in eam sanguinem et aquam de latere
domini decurrentem. Adhuc ipsis non cre-
dentibus sed iniurias et blasphemias
inferentibus portabant ampullam ple-
nam salute et virtute ad locum in quo
multitudo languencium conuenta fu-
it. Primum quidem omnium paraliticum
quendam a natiuitate adeunt et li-
quore sancto sumpto perungunt et inco-
lumitati reddunt. Ceci quam plu-
rimi a tactu sacre vnctionis gaudi-
um receperunt luminis. Demoniaci quoque
qui ad odorem diuine virtutis accesserunt offe-
rebantur purgabantur. Vbi autem celebre
verbum hoc factum est per vniuersam ciuita-
tem, alii atque alii secum egrotis suis in-
gerentes de agris et vicis et domibus
cum multitudine infinita confluebant
et salui fiebant. Repleta est autem sy-
nagoga eorum paraliticis claudis demo-
niacis leprosis aridis cecis et surdis
et omni genere morborum egrotantibus, et
quocumque genere languoris detinebantur
sanabantur. Videntes autem principes
sacerdotum et omnis synagoga eorum sig-
na et prodigia multa que fiebant cum
mulieribus et infantibus credentes cla-
mabant deo patri et filio suo ihesu
atque spiritui sancto: Vnus deus pater, vnus christus

dei filius, vnus ex utroque procedens spiritus
sanctus, qui in trinitate perfecta viuit et reg-
nat deus in secula. Amen.
Gloria tibi christe quem patres nostri igno-
rantes quidem crucifixerunt, qui nunc
et a nobis in sancta ymagine tua cruci-
fixus es. Gloria tibi christe fili dei viui qui
per signa potencie tue illuminasti ceci-
tatem cordium nostrorum et ad tuam misericordiam traxi-
sti. Tibi credimus, propicius esto nobis et
suscipe lacrimas et penitenciam nostram, ne
forte pre magnitudine scelerum infernus
aperiens os suum deglutiat nos. Qui cum
patribus nostris mirabilia magna fe-
cisti et beneficia innumerabilia prestitisti,
parce iniquitatibus nostris et medere ani-
mabus nostris. Et clamor magnus fiebat
clamancium et deum inuocancium. Sanatis
vero omnibus qui advecti venerant
infirmis, principes sacerdotum et omnis
multitudo eorum ad episcopum ciuitatis ac-
currit, vna voce clamantes: Vnus
deus pater, vnus ihesus christus filius eius
deus, quem patres nostri crucifixerunt, vnus
spiritus sanctus. Et confitentes peccata sua ipsam
imaginem sanctam ostenderunt episcopo, nar-
rantes eciam qualiter sanguis et aqua de
latere ipsius cucurrit et quanta mirabili-
a facta sunt. Episcopus autem vniuersaliter in
dicto ieiunio omnes regenerauit sacro
baptismate, quos ipse omnes suscepit.
Synagogam quidem eorum principalem
ecclesiam consecrauit in honore salua-
toris nostri ihesu christi, ceteras vero eorum syna-
gogas dedicauit ecclesias in honore a-
postolorum et martirum. Factum quoque est ibi gau-
dium magnum non solum quod tanta corpo-
rum curata sunt, sed quod et anime multorum de
morte ad vitam translate sunt. Hec sciens
ego dilectissimi fratres acceleraui manifestare